



ISTRUMENTARIII morbi, qui à materia venenata fit, vel forma, vel figura, vel numerus, vel situs partiũ læditur, & propterea partium compositio in una quaq; lædi certum est, ut infra probabitur. Ergo tota compositio à veneno subvertitur, quòd proprietate substantiæ contrariatur. Eis igitur remedijs à tota substantia contrarijs tolletur. Quando igitur à venenata materia læditur compositio, intumescit corpus, forma & figura corrumpitur, ut abruptionem minari videatur, ut in morbis venenatis, quoniam partes instrumentariæ toto genere præter naturam afficiuntur. Galenus com. primo numero 6. de Natura humana, & 21. tumores interdum excitari ab humoribus supervacaneis, qualitate peccantibus, & quandoq; venenosis. Morbus igitur organicus, & magnitudine lædit eximia. Igitur morbus in magnitudine est instrumentarius venenatus; & quoniam quandoq; strumæ fiunt à venenosa materia, capite 9. de differentijs morborum reponit inter morbos auctæ magnitudinis, qui sunt instrumentorum, qui vasta magnitudine lædunt. His igitur omnibus, & alijs venenosis morbis instrumentalib. elixas viperarum carnes prodesse, scripsit Dioscorides. Viperæ ca-

put